



I.

## Eclipses Satellitum Jovis,

A mense Octobri Ann. 1728 ad mensem Majum Ann.  
1729, in Observatorio Regio Berolinensi  
observatæ.

**U**Sus Geographicus eclipsium satellitum Jovis, adeo notus est, ut supervacaneum esset, eum hic loci pluribus verbis explicare. Ut vero illæ eclipses illum usum Geographicum præstent, opus est, ut eæ sedulo & accurate observentur. Eclipses primi satellitis in hunc finem potissimum observari solent, cum hic satelles propter motum suum velocissimum sæpius in umbram Jovis incurrat quam ceteri. Cel. Cassinus etiam tabulas tradidit, ex quibus eclipses primi satellitis multo facilius, imo & accuratius, erui possunt, quam reliquorum satellitum eclipses; quare plerique Astronomi eclipses hujus satellitis potius, quam ceterorum satellitum supputarunt: quo factum est, ut etiam iis magis invigilarent, quam eclipsibus reliquorum satellitum. Sic Cl. Dn. Manfredius in Ephemeridibus suis edidit Calculum immersionum & emersionum primi tantum satellitis Jovis. Et ego sæpius Calculum eclipsium ejusdem satellitis proprio labore deduxi, & ephemeridibus & calendariis meis inserui, ut admonerentur Lectores, quando observandæ essent immersiones vel emersiones primi Satellitis Jovis.

A

Cum